

adiumenta, modo nos, vocationis nostrae et officii memores, attendamus nobis ipsis et universo gregi fidei nostrae credito et custodiamus super eum vigilias noctis huius, hoc est saeculi huius et mundi tenebrosi, qui positus est in maligno, in quo princeps tenebrarum nocte circuit, sicut leo rugiens quaerens quem devoret. Et Nos quidem de Tua fraternitate libenter Nobis persuademos, quod stes super custodiam Tuam et vigiles et circumspicias et vineam istam a vepribus et spinis purgare studeas curesque, Deo iuvante, ne inultaes vites silvescant et prouuis labruscas ferant; sed tamen dissimulare non possumus, pro Nostra omnium ecclesiarum sollicitudine, multo nostro cum dolore et molestia, ad Nos afferri, quod quamplurimi, ex clero istius insignis Tuae ecclesiae, qui bonus Christi odor esse deberent ad vitam multorum, ita licenter et incontinenter vivunt, ut sint odor mortis ad mortem spiritualem multorum et offensionem bonorum omnium. Narrant etiam eos laqueis diaboli irretitos concubinas habere et in omni impuritate eos versari (de quibus scriptum est: «Mundamini qui fertis vasa Domini, et sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus») alea et ludis indecoris tempus conterere ac denique apostoli praeecepti oblitos in cubilibus et impudicitiis, in commensationibus et ebrietatibus, quasi non sint in sortem Domini vocati et divino illius obsequio mancipati, qui est candor lucis aeternae et speculum sine macula. Quid ergo valde mirandum est si sal infatuatum est et si lux tenebrae sunt, id est si clerus, qui populo salis et lucis instar esse debet, per operas tenebrarum et per abrupta vitiorum praeceps ruit? Quid iterum mirum, si multi quotidie apud vos, ut audivimus, haeretici existunt et haereses convalescent et fides catholica in ista nobili civitate in magno omnino discrimine adducitur? Quamobrem, frater, excita zelum Tuum et ne dederis somnum oculis Tuis; cape ventilabrum et purga aream Domini; adhibe quidem prudentiam, adhibe caritatem, infunde oleum, sed infunde etiam et vinum, argue, obsecra, increta et spiritu lenitatis utere et virga etiam. Dei honor agitur et salus animarum et periculum fidei non licet dissimulare, non licet procrastinare. Itaque, frater, manum serio admove ad salutarem reformationem; visita gregem Tuum, incipe a domo Domini: nihil frequenti ecclesiae et dioecesis visitatione salutaris; congrega synodus, clama in fortitudine et quae de clericali disciplina, praesertim de vita et honestate servanda et de impurissimo concubinatu exterminando a sacris canonibus et a sacra potissimum Tridentina synodo decreta sunt, quantum Dei gratia iuvante potes, exequere atque in morem inducito. Vide ut adiutores et operarios et magistros fideles habeas et timentes Deum; manum nemini cito impo-sueris, sed ad clericalem militiam et sacros ordines et praecipue ad presbyteratum et curam animarum ne admiseris nisi idoneos et probatos, qui non destruant, sed aedificant. Postremo praebet Te ipsum exemplar et formam bonorum operum in cultu Dei ac in divinorum officiorum frequentia, in sancto altaris sacrificio, in omni nitore et decore domus Dei, ut videant omnes opera Tua bona et glorificent Patrem, qui in coelo est; quod Te facere confidimus et hortatu nostro Te impensis etiam facturum non dubitamus. Dolemus etiam valde in eo, quod audimus, quod pueris rudimenta doctrinae christianaee non traduntur et multi adulti ea ignorant quae ad salutem sunt necessaria. Scis quanti